

sit gloria tua in salutari eius, gloriam et magnum decorem imponat super te. Inluminet te Dominus et impleat omnes rectas petitiones cordis tui, et consilium tuum in bonis actibus confirmet, ut pro te cuncti Christiani implorent¹: 'Domine salvum fac regem nostrum, et exaudi nos in die qua invocaverimus te'. Si² speraveris in Domino et feceris bonitatem coram illo, pascaris in divitiis eius. Revela³ Domino interiora cordis tui, et spera in eum, et ipse faciet, et deducet⁴ quasi lumen iustitiam tuam, et iudicium tuum lucere faciet, sicut meridiem. Ergo subditi estote semper Domino et obsecrate eum, ut dono gratiæ suæ vitam vestram gubernet et disponat. Expecta⁵ Dominum, ut ipse custodiat viam tuam, ut et cum pace inhabites terram. Custodi autem veritatem et vide aequitatem, quia salus est iustorum a Domino et ipse protector est eorum in tempore tribulationis; adiuvabit eos Dominus et liberabit eos et salvos faciet eos et eruet eos a peccatoribus. Ostendet⁶ Dominus misericordiam suam timentibus se, sicut vestrae sublimitati faciet, si fueris pius et misericors et timens Deum et consolator pauperum. Sic enim in psalmo⁷ dicitur: 'Beatus intellegit super egenum et pauperem, in die malo liberabit eum Dominus'. Veritas non abnegetur, sed iustitia semper tam a vobis quam a subditis pronuntietur, ut deteresa humana cupiditate, aequitatis radietur lumen. Sic iustitia procedat, ut cum lande clarificetur Deus, iustoque iudicio in palatio vestro agitato letificentur et exultent pauperes, viduae defensionem habeant, orphani tutelam suscipiant. Super aecclesiarum ac monasteriorum conservatione atque eorum privilegiis conservandis vestra sublimitas vigilans semper ac prona sit, ut eorum religio sicut piissimi et domini nostri, genitoris autem vestri, ita et vestris temporibus non solum crescere, sed etiam, prout possibile fuerit, inconvulsa manere se gaudeat et letetur. O rex, sit tibi amor Dei timorque coniunctus, semperque sit tibi divina severitas presens. Quantumque ipse honorem tibi ampliaverit, tanto amplius illum dilige, illumque cotidie assidue atque humiliter rogare non desistas, quatinus det sapientiam mentibus vestris gubernandi regnum, quod eius ordinatione accepistis; semper illi placere desideres. 'Omne enim donum perfectum desursum est', sicut apostolus dicit⁸, 'descendens a patre luminum'. Et in alio loco Dominus⁹: 'Non potest homo accipere quicquam, nisi datum ei fuerit de cælo'. Ideo namque dona ac potestates dantur a Deo hominibus, ut auctori suo gratias sciant referre. Ministrum Dei te scias esse ad hoc

1) Psal. 19, 10. 2) Psal. 36, 3 'Spera in domino et fac bonitatem . . et pascaris in divitiis eius'. 3) Ebd. 5 'Revela domino vitam tuam et spera in eo et ipse faciet'. 4) Ebd. 6. 5) Vgl. Ps. 36, 34. 6) Vgl. Ps. 84, 8. 7) Ps. 40, 2. 8) Iac. 1, 17. 9) Ioh. 3, 27.